

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XXXIX.

S. Dicitur non potest, quam gravis & molesta mihi fuerit collegarum meorum, qui à Principe meo missi fuerunt, nimia & intempestiva unius diei festinatio: Quæ etiam iter reditus mei acerbum mihi reddidit. Videbatur enim mihi necessarium, ut post compositionem controversiæ in doctrina factam, etiam de reliquis quibusdam non minus ad pacem & tranquillitatem conservandam necessariis colloqueremur. Sed quia necesse erat eos sequi, spiritu tamen meo vobis semper præsens fui. Anxiè autem Deum invoco, ut juxta doctrinam sinceram & incorruptam, animorum quoque conjunctionem perpetuam inter vos semper tueatur. In arbitrio, si quid à me peccatum est, malitia non est factum, sed ingenii imbecillitate, quæ nunquam satis circumspecta esse potest. Præsertim in Controversia tam difficili & intricata, & animorum exulceratione non parva, qualis tum inter partes esse videbatur. Et me non parvus metus exercuit, cum varia de eo Zanco ad me perscriberentur. Opto ei ex animo, ut cum inquisitione veritatis studium pacis conjungat. Et quæ est vestra pietas, de vobis minime dubito. Nec Magistratum suo officio defuturum confido. Cujus singulare erga vestrum ministerium studium, & nos benevolentiam intelleximus. Ad eò me affligant hæc nostrorum certamina, ut mei ipsius propemodum obliviscar, quem tamen scitis, non ab uno peti adversario. Ac metuo, ne anarchia, quæ in nostris Ecclesiis obtinuit, & studium contendendi nobis aliquando exitium afferat. Vestram verò charitatem neque debeo neque possum celare, quanto cum gaudio & lætitiâ animi Illustriss. Princeps meus perfusus sit, postquam literas vestras legit, quibus intellexit, causam pie compositam, & reconciliationem animorum factam. Majorem scio voluptatem concepit, quam si magnam vim auri ipsius Celsitudini obtulisset. Quò magis & vobis, nobisque omnibus gratulor, qui ad ejus compositionem vos præbuitis tam faciles & verè Christianos, Id quod apud Illustrissimam Celsitudinem ejus magno studio prædicavi. Spero vestrum exemplum profuturum multis aliis Ecclesiis, ut vel tandem aliquando finis fiat miserrimarum contentionum, quæ passim etiam inter nostros vigent. Scripsit ad me nuper nobilis D. à Kedriz, Bipontini Principis Cancellarius, quod tranquilla sit vestra Ecclesia, quo nomine merito Deo gratias agebam maximas, cui respondi, nisi metuissem, eum cum familia alio migrasse. Quod si factum non est, ut me excuseris, rogo. Dominus Deus pater Domini nostri Jesu Christi nos in hac unitate spiritus & animorum conjunctione perpetua conserve & tueatur. Reverenter universum collegium vestrum, viros optimos & doctissimos, ut meo nomine salutes, etiam atque etiam oro.

Bullingerus nuper contra Brentium iterum libellum edidit, in quo hu-

mani-

A. 1663.

PARS TERTIA.

manitas Christi, ut audio, ad partem Dexteræ Dei collocatur. Sed habitus
rus est ardidotum. Bene & feliciter valete. Raptim Tubingæ, 22. Maji
Anno 63.

Vester ex animo

Jacobus Andræ, D. Præpositus
& Cancellarius Tubingensis.

XL.

S. D. Nihil ad te scribere potui, Reverende Domine Doctor, ab eo tem-
pore, quo Cultriniensis tabellarius ferens meas prolixas ad te literas una-
cum libellis latinis de cœna Domini miserè pulsus & spoliatus, instituto
itinere omisso, vacuus & famelicus & æger ad nos reversus est, quod mihi
valde molestum fuit, & tibi fortassis variarum cogitationum de hoc meo si-
lento diuturniore causam præbuit. Sed tua pietas & tabelliariorum penu-
riæ illud adscribet, & occupationum continuitati, quæ etiam cum certi ho-
minis copia datur, per quem literæ isthuc mitti possent, mihi scribendi fa-
cultatem eripit. Primum autem quod æquissimum est, vobiscum gratias
ago DEO æterno patri Domini nostri JESU Christi, quod vobis piam con-
cordiam & Ecclesiæ vestræ haud dubie salutarem, & multis vicinis gratam
restituit, eundemque ardentibus votis oro, ut eam confirmet, alac ac mu-
niat, ut nec *ὕπαιος* quid occultet, nec insidiis diaboli novis labefacterur de-
nud. Ecclesiarum in Palatinatu vobis vicino tristem esse faciem, obscure
audimus, certi nihil explorantes. A tua igitur pietate peto, ut quid spei illinc
aut metus concipiendum sit, cognoscere & eo ardentioribus precibus sana-
tionem illius tristici & inexpectati vulneris à DEO petere possimus. Cupio
etiam à te fieri certior, num quis vel in Helvetiis vel in Palatinatu aliquid
jam ediderit aut molitur contra nostrum puerile scriptum, quod quidem
aliquibus illic valde insuave fuisse, cognovi. Apud nos DEI beneficio con-
sensus de hoc articulo juxta sententiam compræhensam in meo scripto co-
lescit & firmatur magis magisque, & scholæ frequentia indes crescit, quam
suo adventu etiam celebriorem reddiderunt Illustrissimi Duces Pomeraniæ,
duo fratres, optimè in literis instituti, & modestia morum singulari præditi.
Cæterum terret nos angulus iste septentrionalis ad mare Balthicum, quod
totum fervet & spumat quasi classibus hostiliter inter se collidi incipientibus,
postquâ bellum motum est inter duos vicinos & ætate ac odiis ferventes Re-
ges, Danicum & Suecicum, quorum impetu metuimus etiam alios ad so-
cietatem ejus belli pertractum iri, maximè nostrum Electorem, qui propter
affini-